

per lineas rectas a signo ad pedem mali, ad summitatē eiusdem. Effet enim illa, que ducitur a summitate mali, longior ea, quæ ad pedem mali extenditur, per 19. propos. 1. lib. Euclid. cum opponatur maiori angulo, ut in apposita figura cernere potes.

QUAMVIS vero hæc ratio, quæ est omnium Astronomorum optime demonstrat aquam, habere figuram rotundam, seclusis nebulis & vaporibus visum nostrum impredientibus: tamen quoniam vix aut nunquam tempus adeo serenum existit, ut nulli sint vapores eleuati ex mari; idcirco melius ac efficacius probare poterimus, aquam esse rotundam, iisdem medijs, quibus auctor collegit terræ rotunditatem, conferendo scilicet insulas magis orientales cum minus orientalibus, quod quidem fiet, nauigando ex Lusitania versus eam partem Hispaniæ nouæ, siue America, quæ Florida nuncupatur, vel e contra. Conferendo item insulas septentrionales cum minus septentrionalibus, quod demum fiet, nauigando ex Lusitania Flandriam versus, vel e contra. Omnes etenim experientie supra allatæ ad comprobandam terræ rotunditatem, anticipatio videlicet ortus & occasus stellarum, item variatio altitudinis poli, eadem proportione comperta sunt a nautis in Oceano & mari. Quare necesse est, aquam quoque, rotundam esse.

ITEM cum aqua sit corpus homogeneum, totum cum partibus eiusdem erit rationis, sed partes aquæ (sicut in guttulis & rotibus herbarum accidit) rotundam naturaliter appetunt formam, ergo & totum, cuius sunt partes.

COMMENTARIVS

SECUNDA ratio est. Partes aque naturaliter appetunt figuram rotundam, ut videmus in guttulis, & rore super folia herbarum: cum igitur aqua sit corpus homogeneum, & consequenter totum cum partibus eiusdem sit rationis, erit & tota aqua figuræ rotundæ. Verum hæc ratio non multum efficax est: Guttule enim illæ fugientes succitatem sibi inimicam, ex naturali & vniuersali propensione ad amant rotundam figuram, ut videlicet diutius se conseruet. Est enim figura spherica ad id accommodatissima, cum eius partes sint magis vnitæ, quam aliarum figurarum: Vnde videmus guttulas aquarum, si amittant figuram sphericam,